



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio sexta. Vtrum theologia sit practica an speculatiua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

est subiectum conclusionis deductæ ex articulo, & articulo. & per consequens, Theologia sic accepta, & articulo fidei. Quid autem sit illud, dictum est in secundo articulo questionis. Magis tamen fit in hoc, quod nullius scientiæ est deducere aliquid speculatiuum ex articulo, quia talis deductio, in nullo, aut modicum perficeret intellectum. Practicæ autem multa deducuntur ex articulis, utpote, quod humiliter est viuendum exemplo Christi, qui seipsum exinanivit, formam serui accipiens, ut dicitur Philip. 2. multa, imò quantumcumque graua, sustinenda sunt pro salute, exemplo Christi, qui passus est pro nobis, & salute nostra: sicut arguit Beat. Petrus. 1. Can. ca. 2. ut dictum est supra, Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum &c. Et simili modo ex aliis articulis multa deducuntur, quæ etiam modicum & quasi in nullo, perficiunt intellectum quoad cognitionem: mirabiliter tamen promouent affectum & bonam operationem. Et cum coplures, & consimiles deductiones per sacra scripturam fiant, patet quod Theologia accepta pro habitu eorum, quæ ex articulis deducuntur, coincidit cum sacra scriptura: propter quod de subiecto eius, & ratione subiecti, idem est dicendum, quod de subiecto sacra scriptura dictum est supra, scilicet quod opus meritum est in ea subiectum.

22 Ad primum argumentum dicendum, quod dictum Philosophi primo Posteriorum intelligitur de scientia potissima, seu propter quid, in qua demonstratur passio de subiecto per causam passionis, sed scientia quia, quæ procedit ex effectu ad causam, non concludit semper passionem de causa sed concludit quandoque solum de causa quia est. Et ideo subiectum in tali scientia non oportet habere aliquas passiones realiter differentes ab ipso. Et si in tali scientia concludatur de causa quia est, non solum accipiendo esse secundum adiacens, sed & tertium adiacens, ut quia est intelligens vel volens, vel aliquid huiusmodi, sufficit quod ista differant à subiecto ratione. Et per hunc modum potest haberi scientia de Deo tam acquisita, quam infusa.

23 Ad secundum dicendum est quod Deus est subiectum in Theologia quæ est fidei defensiva & declaratiua. Ratio autem formalis subiecti, est ratio Saluatoris, ad quam habent attributionem omnia, de quibus determinatur in Theologia, ut dictum fuit prius. Non nego tamen, quod Deus sub ratione absoluta, non fit subiectum in Theologia, propterea quod illa ratio est infinita, ut tangatur in arguendo. Illud enim non valet, quia siue accipiatur infinitum pro eo, quod formaliter importatur per nomen infiniti, quod est priuatio finis: siue accipiatur pro re subiecta infinitati, semper de infinito potest esse haberi scientia finita. Quod patet, quantum ad primum modum. Eiusdem enim scientiæ est, considerare habitum & priuationem: quia rectus est iudex sui & obliqui. Ergo scientia, quæ considerat rationem finiti in quantum materia, siue in quantitate, molis, siue virtutis, habet considerare rationem infiniti, quæ ei opponitur priuatiue. Primum potest scientia finita: ergo & secundum. Vnde & Philo. 3. Phys. tradit scientiam de infinito. Sed ratio infiniti non potest esse primum subiectum. Quantum ad secundum, patet idem: quia si repugnaret scientiæ finitæ, esse de re infinita, tota ratio repugnantia esset non propter rem, sed propter rei infinitatem: quia quantum ad hoc solum, apparet ibi oppositio secundum finitum & infinitum. Si ergo scientiæ finitæ non repugnat tractare de ratione infinitatis, ut statim ostensum est, multo minus repugnat ei considerare rem subiectam infinitati. Et mirum est hoc negare, cum Deus secundum illud quod est, & non secundum aliquam specialem rationem, sit obiectum scientiæ beatorum, quæ finita est. Et si dicitur, quod scientia sortitur rationem ab obiecto: verum est, sed non vniuocam cum obiecto: alioquin scientia de motu esset mobilis: & scientia, quam habemus de lapide, esset lapidea: quod est absurdum. Quare similiter non oportet scientiam de infinito esse infinitam.

24 Ad tertium dicendum, quod scientia strictè & proprie accepta non potest hic haberi de Deo, quod sit trinus, neque per causam, neque per effectum, sicut probat argumentum: sed accipiendo scientiam largè, pro quantumque notitia declaratiua articulo, siue per autoritatem, siue pro quantumque apparentia probabili, quibus posset persuaderi eorum veritas, sic de articulis potest esse talis scientia, & talem dicimus esse Theologiam.

25 Ad argumenta alterius partis respondendum est: ad primum, quod scientia viatoris, per quam declarantur articuli: & aliquantulum deriduntur, & scientia Beatorum, non differunt solum ex parte luminis & modi cognoscendi, sed etiam ex parte obiecti. Scientia enim Beatorum, est præmiata nostrum: propter quod eius obiectum est Deus, sub ratione qua potest capacitate intellectus repleri, quod non potest facere aliqua determinata ratio attributalis. Sed scientia quæ habemus de Deo in via, dirigit nos ad opus meritum: & ideo subiectum in ea est deus, secundum rationem illam, quæ maxime respicit meritum. Et hæc est ratio Saluatoris, ut declaratum fuit. Veruntamen quia ratio absoluta latior est, ratio Saluatoris, & ea includit: ideo visio patriæ clara est de omnibus, de quibus nunc est fides ænigmatica, & non e conuerso. Propter quod, quicquid nunc videmus ænigmatica, tunc videbimus facie ad faciem: & sic fidei succedet visio de eodem, & non adæquata, imò superexcedens.

26 Ad secundum dicendum, quod in Theologia, quæ literarum accepta non consideratur de Deo secundum ea, quæ ipsi absolute conueniunt, sed solum in habitudine ad creaturas: vnde ratio Saluatoris, secundum quam consideratur de Deo, est respectiua.

27 Ad tertium dicendum, quod habitus non semper denominatur à formali ratione subiecti, sed fit quodque denominatione à digniori. Et quia in opere nostre salutis dignius est illud, quod est ibi ex parte Dei, illud, quod est ibi ex parte nostra: ideo Theologia, quæ est scientia nostre salutis, denominatur à Deo.

QVAESTIO SEXTA.

Theo. 1. q. 1. ar. 4. Scotus q. 4. 9. 5. Prolegi.

Deinde queritur, verum Theologia sit practica, an speculatiua. Et videtur, quod sit speculatiua: quia nobilissima scientia est gratia sui, ut dicitur primo Metaphysicæ, sed Theologia est nobilissima scientia: ergo est gratia sui, contra scientiam practica, non est gratia sui, sed operis: ergo Theologia non est practica, sed speculatiua.

Item Fides, & Theologia accepta pro sacra scriptura, sunt idem habitus, ut dictum fuit: sed fides est habitus speculatiuus: ergo & Theologia.

In contrarium est, quia scientia quæ dirigit ad operationem bonam, est practica: sed Theologia dirigit ad operationem bonam, ut patet Iacobi pri. Estote factores verbi, & non auditores tantum, & simile habetur in com. pluribus locis: ergo &c.

RESPONSTIO. Circa questionem istam videntur tria. Primum est, a quo denominatur scientia speculatiua, vel practica. Secundum est, supposito quod a fine, verum a fine proximo, an remoto. Tertium est, applicare ista ad propositum, inquirendo scilicet, verum Theologia sit practica, an speculatiua.

Quantum ad primum, sciendum quod distinctio scientiarum secundum speculatiuum & practicum, est a fine formaliter, à subiecto autem originaliter & radicaliter. Primum patet, quia scientia dicitur speculatiua ab actu speculandi, vel à speculatione, ut ipsi nomen insinuat. Practicaverò ab operatione extra intellectum per eandem rationem. Praxis enim Græcè est operatio Latine, non quantumcumque, sed extra intellectum. Speculatio autem, & operatio, sunt fines scientiarum: ergo distinctio earum secundum speculatiuum & practicum, est formaliter ex parte finium. Maior patet ex vi nominis. Minor declaratur, quia omnis habitus est finaliter propter operationem, quæ est secundum habitum illum: vnde & felicitas, quæ habet rationem finis, non est habitus, sed operatio secundum habitum perfectissimum, ut vult Philosophus. 1. & 10. Ethic. Operatio autem secundum habitum scientiæ, est speculatio vel praxis. Ergo speculatio, & praxis, sunt fines scientiarum. Quod autem operatio secundum habitum scientiæ, sit speculatio, vel praxis, patet: Cum enim scientia attaingit suum obiectum per suam operationem, illa operatio vel est sola cognitio veritatis circa obiectum, quæ speculatio dicitur, vel est cognitio dirigens in faciendum obiectum, sicut ars domesticana præbet cognitionem dirigentem in faciendum domum, & medicinalis in causando sanitatem. Et talis operatio praxis dicitur ratione vterioris operationis, ad quam dirigit. Ergo speculatio & praxis sunt operationes scientiarum, & fines earum, secundum quorum differentiam formaliter distinguuntur scientiæ secundum speculatiuum & practicum.

6. Secundum. f. q. ista distinctio sit radicaliter à subiecto, patet sic. Ex hoc habet radicaliter scientia, q. sit speculatiua vel practica, q. operatio scientie circa suū obiectū consistat in cognitione veritatis, vel sit directiua vltioris operis. Et hoc patet ex præcedētibus. Sed hoc habet scientia ex natura sui obiecti. Ex hoc enim, q. obiectum scientie tale est, q. nullo modo est agibile vel factibile à nobis, nec per operationē nostrā, contingit ipsum sic vel aliter se habere, provenit, q. operatio scientie, consistit in sola circa ipsum cognitione veritatis. Quando autē obiectum est agibile, vel factibile à nobis, & per operationem nostrā contingit ipsum sic vel aliter se habere, tunc operatio scientie circa ipsum nō consistit in cognitione veritatis, sed dirigit in prosecutione operis. Ergo scientia habet radicaliter ex obiecto, q. sit speculatiua vel practica, licet hoc habeat formaliter à fine. Et vtrūq. istorū innuit Philosophus. 3. de Anima, vbi primò dicit, q. intellectus practicus differat à speculatiuo fine, quantū ad differētiā formale, & postea tangē radice & originē huius differētiæ subdit q. obiectū intellectus practici, est bonū non autem omne, sed actuale, quod est etiā cōtingens aliter se habere. Et sic patet primū principale. f. vnde sumatur distinctio scientiarum secundum speculatiuū & practicum.

7. Quantū ad secundū, dicunt quidam, q. Theologia dicitur speculatiua vel practica, magis à fine remoto, q. à proximo: & quia finis remotus Theologia est speculatio patrie: ideo dicunt, q. propter istū finem Theologia qualitercūq. sit accepta, est speculatiua simpliciter. Assumptū probant tripliciter. Primò, quia denominatio debet fieri à fine principal. & magis intēto: sed finis principalior, & magis intentus, est beatitudo patrie: ergo ab ea debet denominari Theologia. Secundò, quia viator q. diu est in via, nō potest attingere finē aut terminū: sed Theologia est scientia viatoris: ergo finis eius non est aliquid, quod possit in via attingi: ergo finis eius nō est cognitio viæ quæ attingitur nunc, sed cognitio patrie, & sic idē quod prius. Tertio, quia in finibus & habitibus ordinatis finis supremus nominat habitum supremum: sicut regere ciuitatē, & regnum, cū sit supremus finis in vita ciuili, denominat politicam, quæ est suprema inter morales scientias: sed beatitudo patrie est suprema finis hominis: ergo debet denominare Theologiam, quæ est suprema scientia.

8. His tamen non obstantibus, dicendū est, quod Theologia non debet denominari speculatiua à fine remoto, scilicet à speculatione patrie. Quod patet tripliciter: Primo sic. Omnis finis, qui denominat aliquam scientiā, est operatio, quam scientia elicit, vel operatio quam regulat, atq. dirigit: sed beatitudo patrie, non est operatio elicta ex nostra Theol. nec est directe regulata per Theologiam nostram: ergo non denominat eam, vt ab ipsa dicatur speculatiua vel practica. Minor est de se clara: sed maior probatur: quia sicut dictū fuit prius, cum omnis scientia attingat obiectum per suam operationē, illa operatio vel est sola cognitio veritatis, quæ speculatio dicitur, & ab hac dicitur speculatiua: vel est cognitio dirigens ad faciendum obiectū, vel ad factionem vel actionem obiecti, & sic dicitur practica. Nec practicum, seu speculatiuum, aliter acceptū est vsq. adhuc à quocūq. Philosopho. Et sic patet tam maior, quam minor: sequitur ergo conclusio.

9. Secundo probatur idem sic. nulla scientia potest denominari speculatiua, vel practica, à fine ad quem solum ordinatur per modū disponētis à remotis, vel per modū meriti, aut mediāte merito: sed Theol. non ordinatur ad beatitudinē patrie, nisi solum disponēdo à remotis, vel per modū meriti, vel mediante merito: ergo nō debet denominari speculatiua à speculatione patrie. Maior patet, quia habitus immediate disponit habentem ad operatio nem, quæ denominat ipsum. Si enim sufficeret remota dispositio, tunc virtutes morales essent habitus speculatiui, cū disponāt saltē à remotis ad beatitudinē naturā, quæ secundum Philo. 10. Ethic. consistit in cōtemplatione veritatis. Si enim sufficeret ordo meriti ad premium, fortiori ratione ipsum meritū debet dici cōtemplatiuum magis q. illud quod ordinatur ad cōtemplationem mediante merito: quod est absurdum. Item vbi habitus ordinatur ad aliquem finem mediante merito, consecutio finis est secundum modum meriti, & non secundum modum habi-

tus, vt in proposito. Beatior enim est vetula, vel idiota magni meriti, q. doctor in Theologia parui meriti: imò vetula bona, vel idiota, consequitur finem illum. f. beatitudinem patrie per meritum absq. habitu theologie: doctor autem malus, habens habitum absq. merito, nō consequitur. Inconueniens autem est, q. ille finis denominet habitum, qui nō potest attingi per habitum absq. aliquo alio, & potest attingi per aliud absq. tali habitu. Patet ergo maior, scilicet quod scientia non denominatur speculatiua, vel practica à fine ad quem solū ordinatur per modum disponētis à remotis, vel mediante merito. Minor similiter patet: quia Theologia nostra immediate non disponit ad visionem patrie, sed habitus gloriæ: sed si disponat, hoc esset mediante merito, sine quo non attingitur beatitudo: ergo, &c.

10. Tertio patet illud sic. si Theologia diceretur habitus speculatiuus à speculatione patrie, cum illa sit visio Dei per essentiā, posset dici, q. Theol. est habitus visionis Dei per essentiā. Consequens est falsum: ergo & antecedens. Probatur cōsequētia: quādo cūq. sub aliquo termino communiter sumpto nō est dare nisi vnum contentum sub ipso, licitum est ex termino communi inferre terminum specialem sub ipso contentum: verbi gratia, si nullus esset homo, nisi Sortes, & diceretur, quod homo currit: verè sequeretur, ergo Sortes currit. Necessariū est enim, terminum communem verificari pro aliquo contento sub ipso: sed sub beatitudine patrie nō est dare alia quid contentum, nisi visionem Dei per essentiā: ergo si Theologia diceretur speculatiua à speculatione patrie, diceretur etiam speculatiua à speculatione dei per essentiā, quia nulla est alia speculatio Dei in patria, in qua sit beatitudo nostra.

11. Ad rationes aliorū dicendum: ad primā, q. denominatio propria habituum secundū speculatiuum & practicum, debet attendi secundum fines proprios, & nō secundum fines communes, dato q. sint principaliores: quia ad eundem finem remotū possunt ordinari habitus speculatiuus & practicus, sicut ad beatitudinē viæ, quæ est cōtemplatio dei possibilis in via, ordinatur virtutes in morales, disponēdo hominē, vt aptior sit in cōtemplando, ne perturbetur passionibus. Ordinatur etiam ad idem scientiæ naturales, quia ex sensibilibus confurgimus in cognitionem dei. Metaphysica etiā ordinatur ad idem, magis de propinquo. Si ergo à tali fine feret denominatio, totū esset speculatiuū & nihil practici, vel e cōuerso: quod est inconueniens. Sic in proposito, quia beatitudo patrie non est finis proprius, sed remotus.

12. Ad secundum dicendū, q. viatori repugnat attingere finem vltimū simpliciter, sed nō repugnat ei attingere finem congruentē suo statui, alioquin non hospitaretur alicubi vsq. ad finem viæ, similiter nunc attingimus finem viæ congruentem statui viæ, quæ est cognitio licet ænigmatica articulorū de Deo saluatore, & aliorū, quantum sufficit ad dirigendum ad salutem.

13. Ad tertiu dicendum, q. supremus habitus est habitus gloriæ speculatiuus, non autē Theol. nostra: imò magis sequi. ur contrariū: quia idem finis nō potest denominare diuersos habitus propria denominatione.

14. QVANTVM ad tertium articulum, de quo est principale propositū, dicunt quidam, q. Theol. nec est speculatiua, nec practica, sed affectiua: quod probat sic. qui illa scientia est affectiua, cuius finis principalis est amor, vel affectio: sed Theol. est huiusmodi: ergo ipsa est affectiua. Maior patet: sed minor probatur: primo per illud, quod dicit Apof. 1. ad Tim. 1. Finis præcepti est charitas. Secundo, per illud, quod dicit Aug. & inductū fuit prius, Ille tenet & quod later, & quod patet, &c. Tertio, per rationem: quia illud habet rationem finis, quod habet rationem melioris: sed in via amor Dei melior est cognitio ne Dei, quam habemus per fidem, vt patet. 1. ad Cor. 13. Maior horum charitas, ergo, &c. Si autem est affectiua, nō est speculatiua, nec practica: quia speculatiuum & practicum pertinent ad intellectum, affectiuum autem pertinet ad voluntatem.

15. Hac autem opinio vnum affirmat, scilicet q. Theologia debet dici affectiua, de quo postea videbitur. Aliud autem negat, scilicet q. nec est speculatiua, nec practica: quod

quod non videtur verum: quod patet primo, ostendendo generaliter de omni scientia, quod oportet eam esse practicam, vel speculatiuam. Secundo, ostendendo illud de theologia, etiam si ponatur affectiua. Primum patet sic: ex parte actus, omnis scientia attingit suum obiectum per actum qui consistit in sola cognitione veritatis, vel per actum qui dirigit in exercitium ulterioris operis: sed scientia, quae attingit suum obiectum per operationem quae consistit in sola cognitione veritatis, est speculatiua: illa autem, cuius actus dirigit in exercitium ulterioris operis est practica: ergo omnis scientia est speculatiua, vel practica. Vtraque praemis farum patet ex praecedentibus.

16 Secundo patet idem ex parte obiectorum. Omnis scientia, quae habet obiectum agibile vel factibile a nobis quod per operationem nostram conuenit sic vel aliter se habere, est vere practica. Quae autem non habet obiectum factibile a nobis: nec per operationem nostram contingit sic vel aliter se habere, est vere speculatiua. Sed omnis scientia habet tale vel tale obiectum, cum fiat diuisio per affirmationem & negationem: ergo &c. Maior patet ex praemis.

17 Secundo patet idem de Theologia, etiam ponendo quod sit effectiua: quia cum agamus nunc de denominatione scientiae, quae est a fine formaliter, ut dictum fuit, finis Theologiae erit aut sola cognitio veritatis circa charitatem & affectionem, aut erit cognitio qualiter charitas & bona affectio habet fieri in nobis. Sed primo modo Theologia est pure speculatiua, secundo esset vere practica, ut patet ex propriis rationibus speculatiui & practici supra positae. Ergo &c.

18 Ratio autem eorum non valet, nec color habet. Cum enim dicitur, quod speculatiui & practici pertinent ad intellectum, affectiuum autem ad voluntatem, ergo & quod est affectiuum, non est speculatiuum nec practicum: non valet, primo, quia directe est contra eos: quia Theologia & omnis scientia est habitus intellectiuis: sed affectiuum non pertinet ad intellectum, sed ad voluntatem: ergo nec theologia, nec aliqua scientia potest dici affectiua: cuius contrarium ipsi dicunt. Secundo, quia omnis moralis scientia ordinatur finaliter ad hoc ut boni fiamus, ut patet ex variis locis lib. Ethic. Bonitas autem moralis consistit in hoc, quod bene afficiamur, tam secundum voluntatem, quam secundum appetitum sensitiuum: ergo scientia moralis vere est affectiua, & tamen ponitur practica: ergo affectiua non excludit practicum.

19 Dicendum ergo, quod licet speculatio, a qua dicitur scientia speculatiua, sit in intellectu, tamen praxis, a qua scientia dicitur practica, non est in intellectu, sed in aliqua alia potentia. Scientia tamen denominatur practica, quia est causa praxis per modum dirigentis: & simili modo potest dici affectiua, licet affectio non sit in intellectu, sed in voluntate: sicut dicimus, quod ars est habitus factiuus, & tamen factio non est in intellectu, sed in rebus extra eum. Sed factioem dirigit ars. Patet ergo, quod dato quod Theol. diceretur affectiua, istud tamen non excludit, quin oporteat eam esse speculatiuam, aut practicam.

20 Dicendum ergo iuxta distinctionem supra positam, quod aut queritur de Theol. quae est habitus eorum, quae in sacra scriptura traduntur, aut de Theol. quae est fidei defensiva & declaratiua. Tertius enim modus coincidit cum primo, ut dictum fuit in precedente questione. Loquendo de Theol. primo modo, dicendum, quod ipsa est practica simpliciter, quod patet sic: Quia illa scientia, quae habet pro obiecto aliquid agibile, vel factibile a nobis, quod per operationem nostram contingit sic vel aliter se habere, est vere & simpliciter practica, sed Theol. accepta primo modo, pro habitu quo cognoscimus ea, quae in sacra scriptura traduntur, habet pro subiecto opus meritorium, quod est agibile a nobis, & per operationem nostram contingit sic vel aliter se habere: ergo Theol. vel sacra scriptura est vere & simpliciter practica. Vtraque praemis farum patet ex praecedentibus.

21 Sed contra rationem potest obieci sic: Scientia practica habet subiectum agibile vel factibile a nobis, quod nos possumus esse causa sufficiens, ut patet in Polit. & Moral. Sed nos non possumus esse causa sufficiens operis meritorii, cum requirat charitatem, quae non est in potestate nostra. Ergo sacra scriptura non est practica, quauis sit de opere meritorio, ut de subiecto. Est dicendum, quod maior pro-

positio est falsa. Non enim requiritur ad scientiam practicam, quod homo per eam sit sufficiens causa sui obiecti: sed sufficit, quod sit causa vel concausa, ita quod operatio hominis necessario requiratur ad causandum obiectum, & quod ad hoc ordinetur scientia: Sic autem est in proposito. Necesse est enim, opus nostrum concurrere ad meritum. Item licet non sit in potestate hominis, causare in se charitatem, est tamen in potestate sua, disponere se in tantum, quod Deus dabit illi charitatem, & habita charitate, in potestate eius est, meritoriè agere: ideo instantia nulla est.

22 Secundo patet idem sic: Illa scientia est simpliciter practica, cuius operatio circa obiectum suum non consistit in contemplatione veritatis, sed dirigit in prosecutione operis: sed Theol. vel sacra scriptura, est huiusmodi: ergo ipsa est simpliciter practica. Maior patet ex praecedentibus. Et minor patet quasi ex infinitis locis scripturae, in quibus commendatur facientes, & reprehenduntur auditores, & non facientes. Et sine dubio mirum esset, nisi esset practica, cum euidenter appareat omni considerati scripturam a principio usque ad finem, quia semper pro vna scripturae columna, in qua agitur de his quae sunt pure speculabilia a nobis, sunt plusquam quingenta folia, in quibus agitur de pure practice. Et quia opus meritorium non est sine charitate, quae principaliter diligimus deum: ideo sacra scriptura, quae principaliter agit de opere meritorio in copiosis locis hortat ad charitatem, quae bene afficiamur ad deum. Et si propter hoc sacra scriptura dicatur affectiua, non negando tamen eam esse practicam, non est male dictum. Iuxta quae sensum suum accipiendae autoritates ad hoc inducuntur per alios, & rationes similiter. Cum enim finis practice sit operatio, per quam sit suum subiectum, & dilectio est opus quoddam meritorium, nec sine dilectione (sunt alia meritoria, ponendo dilectionem finem magis, quam cognitionem, non discedimus a proposito nostro, quod dictum est, quod subiectum theologie est opus meritorium, & finis eiusdem est dilectio respectu operis meritorii. Patet ergo primum, scilicet licet quodam Theol. accepta pro habitu eorum, quae tradit sacra scriptura, est simpliciter practica.

23 Si accipiatur Theol. pro habitu quo articuli principales defenduntur & declarantur, sic dicendum, quod Theol. est simpliciter speculatiua. Quod patet dupliciter, primo ex parte obiecti sic: Illa scientia est speculatiua, & non practica, cuius obiectum non est agibile a nobis, nec factibile, nec per operationem nostram contingit ipsum aliter se habere: sed Theol. quae est fidei defensiva & declaratiua, est huiusmodi, cum obiectum eius, vel subiectum, sit Deus sub ratione Saluatoris: ergo ipsa est simpliciter speculatiua. Vtraque praemis farum patet ex praecedentibus. Secundo patet idem ex parte finis sic: Illa scientia est simpliciter speculatiua, cuius operatio circa suum obiectum consistit in cognitione veritatis: sed actus theologiae, qui defendit & declarat fidem, consistit in sola cognitione veritatis: Ad hoc enim solum directe ordinatur, ut veritas articulorum, quae secundum humanum intellectum multum dubia est & obscura aliquoties declararetur & defenderetur: ergo ipsa est speculatiua.

24 Ad rationes principales respondendum est. Ad primam, cum dicitur, quod nobilissima scientia est gratia sui, concedatur: & cum subditur, quod Theol. est nobilissima scientia, si fiat comparatio respectu omnis scientiae, generaliter falsum est. Scientia enim beatorum, multo nobilior est, & illa est gratia sui, & pure speculatiua. Si autem fiat comparatio respectu scientiarum, quae habentur in via, tunc dicendum, quod aut tunc loqueris de Theolo. quae est defensiva fidei & declaratiua, & tunc es pro me, quia illam non possumus speculatiuam, aut de Theologia, quae est habitus eorum, quae ex principalibus articulis, concluduntur, & sic dico quod Theol. non est nobilissima, nec ratione subiecti, cum sit de opere meritorio, tanquam de subiecto, nec ratione certitudinis euidenciae, cum aliae multo certius, hoc est euidentius procedat. Est tamen nobilior inter scientias practicas, & ratione finis, & subiecti. Potest etiam dici, quod est nobilior omnibus scientiis humanis adiuuentis ratione luminis, in quo reuelantur, & cognoscuntur theologicae: sed ista nobilitas non arguit eam esse speculatiuam, cum in illo lumine aequae possent reuelari & cognosci speculatiua, sicut practicae, & e conuerso.

25 Ad secundū dicendum, q̄ fides accepta secundum suā totā latitudinē, & prout est idē cū Theologia primo modo dicta, est habitus practicus, quia nō est principaliter vt cognoscamus, sed vt boni fiamus, vnde tota vel principālis necessitas fidei est, vt cognito sine nostro, dirigantur opera nostra ad consequendū finē. Propter quod v. Iacob. Can. Iua. 2. dicit fidem sine operibus otiosam. Otiosum enim est, quod non attingit finē, ad quē ordinatur. Ergo fides ordinatur ad hoc, vt per opera meritoria ac salutaria consequamur nostrā salutē. Et sic est habitus practicus. Si autē arctaretur precise ad fidē articulorum principalium, sic esset habitus speculatiuus, & Theologia declarans ac defendens eā, est speculatiua, quia vt sic consistit in speculatione, & declaratione, seu defensione veritatis articulorum. Sed quia in Theologia primo modo, & tertio modo sumpta, articuli applicantur practice ad conclusiones ibidem deductas, ideo Theologia sic assumpta est practica. Et est simile, q̄ regnante tali astro, vel constellatione mare sit tempestuosum, purē est speculabile à nobis. Et hoc pertinet ad habitū purē speculatiuū, vt puta ad Astronomiā: & tamen nauigaria hoc principium applicat ad opus sic. Non expedit nauigare, mari existente tempestuoso, sed regnante tali astro, vel constellatione, mare est tempestuosum: ergo tunc nō expedit nauigare. Vnde nauigatiua nō est speculatiua. Similiter in proposito nostro licet fides articulorum principalium sit de purē speculabilibus à nobis, tamen practice applicantur ad opus meritoria, tanq̄ directiua operis meritorii, vt ostensum fuit prius: propter quod licet fides articulorum sit habitus speculatiuus, tamen Theologia quæ articulos fidei applicat ad opus meritorium, est practica.

QVÆSTIO SEPTIMA.
De subalternatione scientia.

Thom. 1. q. 1. ar. 2.

Postquam quæsitum est de his, quæ pertinent ad causas Theologiae, nunc quærendum est de comparatione eius ad alias scientias.

1 Et primò, vtrum ipsa subalternetur scientiæ Beatorū. Secundò, vtrum ipsa subalternetur alicui scientiæ humanitus inuenta, vel alia sibi. Ad primum sic proceditur, Et arguitur, q̄ Theologia nostra subalternetur scientiæ Beatorum, quia Theologia subalternatur illi scientiæ, à qua necessariò dependet: sed illa necessariò dependet à scientia Beatorum: ergo subalternatur ei. Minor probatur, quia de Supernaturalibus, de quibus est fides, & Theologia, nihil possumus cognoscere, nisi quantum reuelatum est nobis à Deo, & à Beatis, qui vident ea quæ nos credimus.

2 Item sicut se habet linea visualis ad lineam absolutē sumptam, ita Deus Saluator ad Deum absolutē sumptū: sed scientia, quæ est de linea visuali, vt perspectiua, subalternatur Geometriæ, quæ est de linea absolutē sumpta: ergo similiter Theologia, quæ est de Deo sub ratione Saluatoris, subalternatur scientiæ Beatorum, quæ est de deo absolutē sumpto.

3 Item, vbi finis vnius scientiæ est sub fine alterius, ibi est vera subalternatio, vt patet ex. 1. Eth. de fransactiua, & equestri: sed finis Theol. siue sit speculatio viæ, siue sit opus meritorium ordinatur ad contemplationem patrię tanquam ad finem: ergo Theologia tam practica, quam speculatiua, subalternatur scientiæ Beatorum.

4 IN contrarium arguitur sic: Scientia subalternans & subalternata sunt cōpossibiles in eodem, imò vna confirmatur per alteram, vt patet de Geometria, & Perspectiua, & de Arithmetica & Musica: sed Theologia viatorū, & scientia beatorum, non sunt cōpossibiles: ergo nō se habent, sicut subalternans & subalternata.

7 RESPONSI O. Circa quæstionē istam videntur duo. Primū est, quid sit subalternatio: & quot modis fiat. Secundò declarabitur propositū. Quantum ad primum, sciendum q̄ scientiā subalternari scientiæ, est vnā sub altera collocari. Hoc autē potest esse dupliciter: vno modo secundum rationem vniuersalis & particularis, sicut indiuidua collocantur sub specie, & species sub genere. Et hoc modo omnes scientiæ sic acceptæ collocantur sub scientia in cōmuni accepta: & sic non loquimur de subalternatione, quia cōstat q̄ Geometria, & Perspectiua

quæ ei subalternatur, non se habent, sicut indiuiduum & species, nec sicut species & genus: sed sunt scientiæ disparate. De quarū tamē subalternatione tractat Philo. 1. Postea. Alio modo collocatur vna scientia sub alia secundū rem, & hoc dupliciter: vno modo, secundum gradum dignitatis, qui gradus est in sciētis vel ex nobilitate subiecti, vel certitudine modi procedendi, vt patet in Procem. lib. de Anima. Et talis collocatio nō facit subalternationem, de qua quærimus, & de qua Philo. loquitur. 1. Post. quia liber de Anima, est de nobiliori subiecto, quā Geometria, vel arithmetica: sed e contrario istæ certius procedunt, quā scientia de anima: & tamē nec illa subalternatur istis, nec istæ illi. Alio modo collocatur vna scientia sub alia, secundum dependentiā cognitionis. Quæ dependentia potest causari ex duobus: quandoq̄ quidem ex parte scibilis, & quādoq̄ ex parte scientis. Ex parte scientis potest esse dependentia, vel propter conditionem indiuidui, sicut cum aliquis est sic dispositus q̄ nihil potest scire de geometria, sed solum credit illi, qui habet de talibus scientiā. Tunc enim opinio eius dependet à scientia alterius. Vel est dependentia à conditione status communis, sicut manente statu, quo homo nihil potest cognoscere, nisi ex sensibilibus: & tunc impossibile est cognoscere illa, quæ ex sensibilibus nō possunt probari, nisi quādo reuelatur ab illis, qui talia vident, & sunt in alio statu.

6 Ex prima cōditione nullus dicit esse subalternationem. Sed ex secunda dicit quidam, q̄ potest esse subalternatio: nullam verò rationē habentes, nisi solā palliationē illius opinionis, quæ dicit, q̄ Theol. nostra subalternatur scientiæ Sanctorum illo modo.

7 Hoc autem est satis friuole dictū, quia secundum statum comunē omnis cognitio intellectiua, & scientia, dependent in omni homine à cognitione sensitiua: ergo si talis dependentia causat subalternationē, cognitio intellectiua subalternaretur sensitiuæ, quod nullus vnquā dixit. Et iterū, scientia Beatorum subalternaretur scientiæ Dei, quia ab ea dependet secundū illum totum statum: quod etiam nullus dicit.

8 Restat ergo, q̄ illa sola dependentia cognitionis, quæ est ex parte scibilis, causat subalternationem: quod potest esse dupliciter: vno modo, quia subiecta se habent, sicut pars & totum. Alio modo, quia se habent, sicut causa & effectus. Si vt pars & totū, adhuc dupliciter, vel sicut pars & totum essentialiter ordinata, vt homo & animal, corpus mobile & corpus mobile ad formā, vel ad vbi. Hæc enim se habent, vt totū vniuersale, & sua pars subiectiua, vel sicut totum in modo & sua pars, vt homo & homo albus: quomodo se habent linea, & linea visualis. Si subiectum dependeat à subiecto, quoad cognitionē, quia se habent sicut pars subiectiua & sui totum essentialiter ordinata: sic est quidā modus subalternationis, sed nondū perfectus. Est quidē ibi aliquis modus subalternationis, quia ignoraris cōmunitibus, quæ sunt quo ad nos notiora (vt habetur. 1. Phys.) & quorū rationes & passiones conueniunt partibus, necesse est particularia & passiones eis cōuenientes ignorare. & secundū hoc scientia libri Cæli & mundi, & de Generatione, quæ sunt de corpore mobili ad situm & ad formā, subalternatur scientiæ lib. Phys. quæ est de corpore mobili in cōmuni. Sed hic modus subalternationis non est vsquequaq̄ perfectus. Cuius ratio est, quia in subalternatione propria & perfecta, scientia subalterna dependet à subalternante, quātum ad perfectam cognitionem suorum principiorū, ita q̄ de principiis, de quibus scientia subalterna dicit tantūmodo quia, scientia subalternans dicit propter quid: sed quando subiectum differt à subiecto, sicut pars essentialis & subiectiua à suo toto, superior scientia non potest dicere de principiis inferioris scientiæ, nec quia, nec propter quid: ergo non est ibi propria & perfecta subalternatio. Maior patet ex ratione propria & perfecta subalternationis. Minor probatur. accipiamus, gratia exempli, q̄ vna scientia sit de animali, & alia de homine, nec per animal, nec per aliquid aliud sibi conueniens, potest aliquid homini proprium probari nec quantum ad quia, nec quantum ad propter quid, cuius ratio est, quia quod conuenit animali per se sicut est omne quod demonstratur conueniat ei vniuersaliter: tale autē non potest esse propriū homini, sed commune